



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CXXII. Lætatus sum in his quæ dicta sunt, &c. Carm. gen. 16.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](#)

Ille (quid uano trepidans tumultu  
Cor pulsas mihi pectora?)  
Ille sanctorum (mihi crede) custos  
Noctes excubat & dies:  
Victa nec blandi illecebris soporis  
Vnquam lumina dimouet,  
Leniter passis tibi semper alis  
Vmbræ more superuolat,  
Ne cutem solis uiolentioris  
Vrant spicula de die,  
Nocte ne lunæ nebulosioris  
Artus degrauet halitus.  
Seu domi clausus lateas latenter  
Clausis seruat in ædibus:  
Seu foris pacis obeas amicæ,  
Seu belli fera munera,  
Sospitem è cunctis Dominus periclis  
Semper te bonus eruet.

PSAL. CXXII. Lætatus sum in his qua  
dicta sunt, &c. Carm. gen. 16.

O Lux candida, lux mihi  
Læti conscientia nuncij:  
Iam pleno stata tempora  
Reddit circulus anno:  
Iam festi reuocant dies  
Augustam Domini ad domum:  
Iam sacri pedibus premam  
Lætus limina templi.  
Iam uisam Solymæ edita

Cælo culmina, & ædium  
 Moles nobilium, & uo  
 Augustam populo urbem:  
 Vrbem, quam procul ultimis  
 Terræ finibus exciti  
 Petunt Ifacidæ, ut Deum  
 Placent more parentum.  
 Iuslæm cælitus oppidis  
 Vrbem ius dare cæteris:  
 Et sedem fore Dauidis  
 Cuncta in sæcula proli.  
 Mater nobilis urbiuum,  
 Semper te bona pax amet:  
 Et te semper amantibus  
 Cedant omnia rectè.  
 Semper pax tua mœnia  
 Colat: semper in ædibus  
 Tuis copia dextera  
 Larga munera fundat.  
 Dulcis Ifacidum domus,  
 Te pax incola sospitet:  
 Sedes numinis, omnia  
 Succedant tibi faustè.

P S A L . C X X I I I . Ad te leuaui oculos meos,  
 &c. Carm.gen. 6.

A D te leuaui, rex, pater, & Deus,  
 Ad te leuaui lumina, qui procul  
 Contagio humano remotus,  
 Tempa habitas radiata cæli.

Vt